



ASSERTIONIS NOTARUM IN PROPOSITIONES V. FAMOSAS ADVERSUS SPONGIAM IIS OPPOSITAM CRISIS.

PER PALLADIUM S. AUGUSTINI DISCIPULUM.

Veritate nihil potentius. Theodor. ep. 88.



CRISIS AD PRÆFATIONEM.

ORdiris à querimoniâ de charitate quorumdam, quam vocas *latè dictam*, qui Spongiam, *adversum te dictavere*. Ais, te *minus observaturum, quid illos à te audire deceret, quam quid deceat te dicere illis*. Enimverò plus satis delicatulus es mi Martine, & alios fortasse tuo pede metiris. Genus hoc scribendi pugnax, nisi nervos habeat, & aculeos, languet & friget. Neque etiam tu, quantum præferre vis, rostro, unguibus, & felle cares. Documento sunt nupera in OBTRECTATOREM GALLUM. Attamen, quoniam ita adlubet, calamos conseramus modestiùs.

Præmones, *non singula, quæ in spongia continentur, discussurum te; immanis enim labor foret* (accedo) *nec huic conformis instituto* (Quidni?) *summa dumtaxat legam fastigia rerum.* Bellè, & expeditè. Utique magnorum est, summa impeditissimaque negotia mira facilitate conficere. Sic ille Macedo nodum gordium loris inextricabilibus implicatum & involutum repente solvit.

AD CONCLUSIONEM PRIMAM.

TRansis ad sententiam Tridentinæ Synodûs prohibentis hac voce uti: *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Mitissimè acceperam NOTAS *tuas*, illectus schedio, quod, de Tridentino silens, hæc tantum habet: *quæ*

Verba (primæ propositionis) *nullum sensum proprium tolerabilem, aut non damnabilem admittunt, præsertim propter illud:* SUNT IMPOSSIBILIA. *Hac voce neque usus est Augustinus &c.* ubi primo conspectu magis obvium, per vocabulum *voce* vocem *impossibilia* dumtaxat designatam arripere. At quoniam id repudias, bene habet. Vide ne fumum fugiens in ignem incidas. Jam enim, quidquid promissa reprimat modestia, falsi criminis in Jansenium impacti reus es. Evici *enucleatione* Capitis disputati 13. lib. 3. de gratia Christi, propositionem Jansenii toto cælo abludere ab edicto Tridentini, &, cum non acquiescas, mox revincam luculentius.

Sed equidem masculè nimium, & supra *vulgarem ingeniorum captum* denuo rogas, *Quod si de tota periodo vocem Tridentini intelligat, audebitne negare vocem eam apud sacram Antiquitatem extare nusquam*? Audeo, & ecce crudiorem illam vocem apud mellitissimum Bernardum Sermone 50. in dulcissima illa Cantica. Deus, inquit, MANDANDO IMPOSSIBILIA, *non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Quæ non eò quis per me pandita torqueat, quò Bernardum cum Tridentino committam (scio hæc vero sensu, ex adjunctis conspicuo, à Bernardo enuntiata) sed quò ostendam, quod alibi dixi, viros meritissimos ob duriorem voculam non vexandos.

Objicis ergo §. 2. (nam id subodorari non erat difficile) dicturum me, *si de tota periodo agitur, nusquam eâ voce Jansenium usum esse.* Quid tu ad hæc? *Ajo ego, usum esse, & probo.* Ausculto arrectis auribus. „Hæc (inquis) est vox Jansenii: *præcepta quædam hominibus* quibusdam *justis* (nempe etiam *volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires*) *sunt impossibilia.*" Tolle uncos vel lunulas, quibus verba (*nempe etiam volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires*) perperam ex tuo constringis, & Jansenii vocem agnoscimus. *At quid illa* (quæris) *differt à damnata in Tridentino,* DEI PRÆCEPTA HOMINI JUSTIFICATO AD OBSERVANDUM ESSE IMPOSSIBILIA? Multum per omnem modum. Quod quidem in Appendicis anatome §§. 4. & 5. perspicuè demonstratum fuit, nimirum non velle Jansenium, præcepta quædam omninò esse impossibilia homini, sed tantum pro statu & viribus in quibus constitutus est, adeòque non adstrui à Clarissimo Doctore impossibilitatem absolutam, qualem heterodoxi somniarant, sed impossibilitatem dumtaxat ex parte potentiæ divino adjutorio forti satis ac valido destitutæ.

Non te fugerat hæc observatio nostra. *Aliquid mussitat* (inquis) *de* PRÆSENTIBUS VIRIBUS, *& in his voculis videtur discrimen velle constituere.* Non mussito, mi Martine, sed stentoreo clamore debuccino, hîc palmarium discrimen securissimè delitescere.

Sed audiam te lepidum, neque enim semper olim tam severè frontem contraxisti. *Quam libens* (ait) *subindicaret, quod effari non audet, propriâ reluctante notitiâ, egisse solùm in ea Propositione Jansenium de impossibilitate justorum secundum quid, ut vocant, &* SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, *ita ut vocula ba verbo,* IMPOSSIBILIA, *adhæreant!* Nescio ubi gladiatoriam didiceris, nam facetè satis & dexterè lethalem ictum declinas, vel potius declinare te fingis. Demptâ quippe industriâ (quam quis in hoste calamario spernat) hæ strophæ pluseulum crassiores sunt.

Seriò igitur & enixe contendo, egisse dumtaxat Jansenium de impossibilitate se- [illegible] quid, & voculas, *secundum præsentes quas habent vires*, verbo *impossibilia*

præ-

præcipuè adhærere. Et quidem hic cardo velitationis hujus. Huc vires nostræ omnes, & copiæ contrahendæ. Zegeri comma unicum, amabo te, ne moremur; ipse Jansenius, cujus causa agitur, suus interpres sit. *Constantissima* (insis) *illius loci lectio est, neque ab ullo, quod sciam, in dubium vocata, juxta quam istud,* SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, *non vocem sequentem,* IMPOSSIBILIA, *afficit, sed has pracedentes,* VOLENTIBUS ET CONANTIBUS, *seu potius solam* CONANTIBUS, *ut constructio sit:* JUSTIS VOLENTIBUS, ET CONANTIBUS SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, SUNT IMPOSSIBILIA. Quidquid alii sint opinati, ego constantissimam illam lectionem non difficulter subruo, & subjecto pulvere ad Garamanthas & Indos mitto.

Ac primò quidem, quid in hanc rem fingi potest istâ ipsius Jansenii asseveratione disertius & explicatius, quam & *Appendix* ingessit in os: *ex hac indubitata doctrina quadam non parvi momenti huc spectantia inferuntur & clarescunt. Primum quidem, esse quadam homini pracepta, secundum Statum & vires in quibus constitutus est impossibilia?* Quâ methodo, vel quibus ansulis magicè inconspicuis, hîc connectes verba, *secundum statum, & vires in quibus constitutus est*, cum voce *conantibus*, cujus hic nulla mentio?

Idem obscuriùs, sed tamen apertè satis insinuarat præcedens & in Appendice & in Jansenio testimonium: *Respondetur igitur, primam illam sententiam, quâ dicitur Deum non jubere id quod homini est impossibile, nunquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini pracipere, id quod* PROPRIIS VIRIBUS SUIS IMPLERE NON POTEST: *sed solum, quod ita impossibile est, ut neque propriis neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere. Unde sapenumero ex professo docet, Deum jubere quadam, qua non potest homo facere, ipsumque auxilium suum subtrahere, non ut desperet homo, sed ut* FACIENDI VIRES *& auxilium, quibus se carere sentit, sibi imploranda esse doceatur.*

Idem utrobique subsequens citatio: *Secundum infertur, non adesse semper gratiam* (seu vires) *quâ* POSSIMUS, *hoc est, quâ illa eadem pracepta implere sufficiamus.*

Idem evidentius hæc verba illius de Petri viribus: *quibus omnibus locis Augustinus & aliis multis passim docet, Petrum cum se pro Christo moriturum polliceretur,* PROPTER DEFECTUM VIRIUM VOLUNTATIS PRÆSTARE NON POTUISSE, *quod promiserat: voluntas enim ejus, hoc est, vis volendi divinitus ei data adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, ne mortis oblata terrore frangeretur.* Ubi latet, amabo, vocabulum *conantibus*, ut has vires non voluntati, non potentiæ, sed sibi adglutinet? ad puteum Democriti se proripuit.

Et iterum. *Hac igitur quoque ratio est, cur multos Deus tentari sinat & cadere. Nempe* UT VIRIUM SUÆ VOLUNTATIS *capiant experientiam, & qui illas* VALDE MAGNAS *esse decepti putant, discant vel statu vel lapsu vel imminenti periculo suo, quid facere possint, quid ferre* NON POSSINT. *Sic enim Petrus experientiâ doctus, deposuit perniciosam prasumptionem, quam de* SUÆ VOLUNTATIS VIRIBUS, SEU POTESTATE *conceperat.*

Sed præclarissimè §. 13. allegatâ Augustini sententiâ, *voluntas autem nova qua mihi esse caperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus sola certa incunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam*, subjungit: "Hoc est, nondum poterat eam quocumque liberæ voluntatis conatu superare, eo quod „ videlicet ipse conatus DEFECTU VIRIUM languidus esset, cui cælestem delectationem „

tque ardorem nondum inspirasset Deus, ideòque similis conatibus expergisci vo-entium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur". En apertè vires à co-natu separatas: *eo quod*, inquit, *ipse conatus defectu virium*, hoc est, quod non ha-beret præsentes vires satis fortes, *languidus esset.*

Hinc & recitatâ litigiosâ propositione: *Hæc igitur omnia plenissimè planissimeque emonstrant &c.* Explanationis vice subtexit, *illam talia præcepta implendi difficulta-em (* Seu impossibilitatem, quæ hîc apud ipsum synonima sunt*) inde proficisci, quod* TRES VOLUNTATIS INFIRMÆ SINT. Et aliquibus interjectis: *Ad hanc igitur sani-atem voluntatis assequendam, ut, quemadmodum subinde necessarium est,* FORTITER, LENE, ATQUE INTEGRE VELLE POSSIMUS, *repugnantesque libidinis, seu contrariæ vo-untatis motus vincere, gratiam (* seu vires*) invocamus, hoc ipso clarissima voce profi-entes*, DEESSE NOBIS SUFFICIENTEM AD ILLA PRÆCEPTA FACIENDA POTESTATEM.

Quintum, addit, *ex eodem principio consectaneum est, plurimis non dari* ISTAM FA-IENDI PRÆCEPTI POSSIBILITATEM, *quæ precibus implorari solet.*

Ex quibus etiam non obscurè patescit, agere dumtaxat Jansenium de *impossibili-ate justorum secundum quid*, & nullatenus de absolutâ: sicut enim nihil stultius, quàm rare ut habeas quod est in tua potestate, ita nihil stultius quam orare ut habeas, quod mpossibile sit obtinere.

Unde & celebratum illud testimonium Doctoris Angelici advocat in causam suam: *i in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur ho-o,* QUÆ NON POTEST SINE GRATIA *præparante, sicut ad diligendum Deum & roximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio ratiæ.* Ac demum concludit: " Ex quibus conficitur, non aliter verum esse, quod Deus non jubeat impossibilia, nisi quia quæcumque jubet, hominis voluntate PER MNIPOTENTEM GRATIAM ADIUTA FIERI POSSUNT, juxta illud responsum Augusti-i, quando eadem quæstione petebatur". *His atque hujusmodi aliis innumerabilibus stimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid* IMPOSSIBILE *homini præcepisse, nec eo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat quod jubet,* IMPOSSIBILE *aliquid esse.* An hi, quæso, sermones sunt invehentis impossibilitatem omnimodam præcepto-um Dei, Tridentinamque sententiam cum Luthero, Calvino, Melancthone simili-usve pestibus exsufflantis? Sic & Cyprianum Novatiani dogmatis, & Athanasium Aria-i, & Augustinum Pelagiani asseclas & propugnatores, cum libuerit, proclamato.

Nihilominus etiamnum hæc flagrantioribus radiis, cum possint, illustranda sunt, t vel cornicum oculi, quod habet parœmia, configantur. Caput 15. adornaturus Vir gloriosus hoc titulo commendatum: MULTIS MODIS PRÆCEPTA DICUNTUR POS-IBILIA, *ut igitur*, inquit, *possibilitas præceptorum Dei, unde pendet & libertas ar-itrii, & ratio peccati, plenius intelligatur, observandum est inprimis, in rebus ad itam bonam seu pietatem spectantibus, multipliciter hominem dici,* POSSE *aliquid. rimò, per solam liberi arbitrii flexibilem facultatem, ad bonum & malum....*

Secundò, paulò propinquius dicimur posse bene vivere, omnibusq; tentationibus re-istere, & peccata cavere, per fidem, quamvis dilectione Dei, & actuali Dei adjuto-io, internisque viribus voluntatis, de quibus ante multa diximus, careamus. Nam uamvis fides ista omnia per se nullo modo possit, quia tamen est semen orationis, per uam charitatem & gratiam adjuvantem & voluntatis vires impetrare solemus, hinc er ipsam fidem ista POSSE *dicimur.*

Quòd ubi Augustini testimoniis confirmavit, *Tertiò*, inquit, *dicimur multò*

plenius

plenius propinquiusque POSSE *per charitatem per quam homo justificatur. Nam charitas seu dilectio non est aliud Augustino, quam voluntas, hoc est, volitio bona: qua quamdiu deest nobis, impossibile est bene vivere, cum autem adest, posse dicimur...... Voluntas illa bona, qua per charitatem datur, initio infirma est, & multa Dei magna pracepta implere* NON POTEST, *nisi paulatim usque adeo munere ardentioris charitatis augeatur,* UT POSSIT...... *quid enim est charitas, nisi, ut Augustinus loquitur, bona voluntas, quid autem absurdius, quam voluntatem quamlibet bonam, ad omnes cupiditates devincendas satis robustam esse..... Quasi vero non super omnia Deus ab infirmis ante tentationem diligatur, qui ingruente ingenti tentatione vires eorum superante vincuntur, quam tamen fortiori charitate hoc est voluntate praditus, non magno labore superat, imo magna facilitate contemnit. Nam hinc est quod hujusmodi peccatorum occasiones tentationesve fugere jubentur, quibus perferendis vel ipsi vel illi qui curam conscientia illorum gerunt, vident vires illorum non esse pares.*

Quarto itaque completissimè dicimur posse, quando S. Spiritus inspiratione sic voluntas §. *praparatur, ut non nudè possit, sed etiam velit....... Hac igitur actualis gratia completum posse tribuit hoc ipso quo velle tribuit.* §.

Quibus præmissis respondet ad argumentum quod sibi propósuerat initio cap. 13. unde litigiosa propositio resecata est, *Deus non jubet impossibilia, ergo dat omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda qua jubet.* Ad quod reponens, *Respondemus,* inquit, PRÆCEPTA DEI ESSE HOMINI POSSIBILIA, *seu posse ab homine fieri, & consequenter hominem* EA POSSE FACERE. *Etenim si jam justificatus est, habet charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere & consequenter totam legem implere potest. Plenitudo enim legis est dilectio, inquit Apostolus. Si autem fidelis quidem sed nondum justificatus est, habet aliquid bona voluntatis, quatenus credit, nam ubi est initium fidei, est etiam initium bona, hoc est pia voluntatis: per hanc autem* POTEST *mundari,* POTEST *uberius auxilium invocare, & consequenter rectè pieque vivere. Quod si etiam fide Christi caret habet liberum voluntatis arbitrium, per quam, uti carni titillanti, ita & spiritui illuminanti consentire, uti peccare, ita & rectè vivere* POTEST. *Quocumque verò possibilitatis modo ex illis tribus quo jam diximus homo possit pracepta Dei (*naturalia*) facere, etsi alio modo proximè non possit, satis est, ut si non fecerit, sit inexcusabilis.* An non cum Diogene lucernam accendero in meridie, si ad fulgorem tam coruscum & terebrantem aliquid conferre voluero?

Sed audiamus Egregium Doctorem, qui nihil ad assertionum suarum elucidationem reliquum sinit, objectiones sibi ipsi formantem dissolventemque: *Quomodo, inquies,* §. *non sunt excusati sive fideles sive infideles, qui illo postremo sufficienti adjutorio carent, quandoquidem sine illo praceptum absolutè implere non possint. Nam reliqui tres possibilitatis modi imperfecti sunt, quibus prasentibus, si postremus, qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc & absolutè fieri posse praceptum dici potest, quam si sine alis volari posse diceretur. Quomodo igitur non excusat tanta implendi pracepti impotentia? Respondetur duplicem esse pracepti faciendi impotentiam: una ex defectu alicujus, quod non potest quantumlibet magna voluntate, hoc est quantumlibet fortiter volendo, suppleri..... Altera impotentia est, qua ex defectu illius voluntatis seu volitionis oritur, qua si adesset, quanta adesse debet, praceptum facillime impleretur. Tantummodò enim fortiter volendo impletur, unde si fortiter vult, hoc ipso jam impletum est, & non impletum esse non potest ..... Hac impotentia non faciendi nullo modo excusat eum, qui non implet, quod pracipitur. Posset enim implere si vellet. Quod si nolueris atque ideo non potueris, quis non eum dixerit pro ipsa* [illegible]*m perversa obdurataque voluntate culpandum?* §. 9

Ex hac igitur duplicis impotentiæ distinctione facile apparet, quid ad objectionem istam, quamdiu volvimus, respondendum sit: nimirum, impotentiam divina mandata faciendi, quæ in peccatoribus reperitur, esse talem, ut non desinant ea implere posse, si voluerint. Velint enim, plenèque velint, mox ut voluerint, implebuntur. Si autem nolint, ideoque non possint, quis nisi nolentibus vitio vertat duritiam iniquæ voluntatis, secutumque defectum potestatis? nam revera defectus talis potestatis non est aliud quàm duritia malæ voluntatis, à qua suscepta recedere non posse, non est aliud quam tenaciter nolle.

Quid ad hæc mi Theologe? an adhuc censeas Jansenium decernere mandata Dei non secundum quid sed absolutè impossibilia, qui eadem confitetur *facillimè impleri*, si fortiter, id est plenè perfecteque volueris, qui *potestatis illius defectum* dicit *non esse alium, quam duritiam malæ voluntatis, à qua susceptâ recedere non posse non est aliud quàm tenaciter* NOLLE, quod utique adjutorio gratiæ Dei (qui de nolentibus volentes facit) quam primum misericordiæ ejus suavissimæ visum fuerit, fiet velle.

AD CONCLUSIONEM II.

EX dictis diffluit conclusio secunda more nivis ad solis æstum madentis, neque enim de litigiosa propositione *alibi* in aphannis *Jansenius mentem explicavit suam*, sed exertè eodem illo ipso, quo eam scripsit Capite, tantâ simul luce perfudit, tantibus præcautionibus circumsepsit, tot munivit præsidiis, ut monstro simile sit, tantas in Ecclesia universa ob rem tam obviæ facilisque indaginis fuisse tragædias excitatas.

Nihil ergo commune Jansenio cum temeraria & à Patribus sub anathemate damnata voce; ac proinde procul in leves ventos abeant theatricæ interrogationes illæ: *Quid virum impulit ut eâ uteretur? An Tridentinum ignoravit? An sprevit? Iterum dico, quid passus est, ubi voce ista non minus disertè quam Tridentinum vetuerat, sibi utendum putavit? An alia vox non suppetebat?* Obmutescat in tantum virum injuria vox, *at in impetu spiritui sui*, UT SOLET, *in hac abrupta abreptus est.* Et hæc altera etiam inconditior: *Molinismum subruere aggressus est, subruit quantum in ipso fuit, Concilium Tridentinum, & Patres.* Tu potius despice quantum præpete spiritu abripiare ab illo instituto tuo: *incepi modeste, pergam modestius.*

Sequitur disceptatio de voce *impossibile* antiquitus usurpatâ: nam memoria repetendum, quod supra monui, *Schedulam* Romanam profligatæ per Tridentinum sententiæ non meminisse. Attamen in hanc solam calamum strinxit Vir Eruditus. Operosè ergo nihil agit Theologus, dum pallet & sudat, ut locum Augustini Retract. libro 1. cap. 22. ad injustos solos coarctet. Nihil enim hoc interest, ut confutetur hæc assertio Schedulæ: *Hac voce (impossibilia) neque usus est Augustinus.* Ac profecto quantula differentia est, an præcepta Dei dicantur impossibilia justis invalidâ tantum afflatis gratiâ, an impossibilia injustis, minore etiamnum gratiâ pollentibus, vel omni prorsus gratiâ destitutis.

Dein ratio habenda tibi fuerat, ô Theologe, argumenti hujus non inconcinni: *Certum est apud Augustinum non omnibus justis volentibus & conantibus fortem ac potentem à Domino præparari voluntatem, sed omnibus fortem & potentem non habentibus voluntatem opus pietatis impossibile Augustinus asserit. Ergo aliquibus justis volentibus & conantibus opus pietatis impossibile ex Augustino.*

Casti-